QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ~~octavo~~ 15 Martii 1714.

M. JOANNE CORDELLE, Doctore Medico, Præſide.

An vinum alimentum, medicamentum, venenum?

I.

VEGETABILIUM cenſus ad ſanitatis & vitæ tuitionem, firmationemque, potiſſimus. Hunc ad uſus mortalium patenti cornu Natura pandit. Hinc legitimum generi noſtro in has fœturas imperium manet, quas eadem mater noſtras profundit ad auras. Neceſſum quid fuit genus omne animantium nobis mactari, & in communes eſcas uſurpari? Ità profectò dexteriori nervorum ope, & calliditatis præſtantiâ tutiores, jus noſtrum ex ambitionis incitatione ſimulavimus. Satis æquò fuiſſet, ſi pane tantùm & diluto lymphis mero curta menſa remanſerit, quæ carnibus tumet nimis. Heu incitamenta cupedinis, morborum fomenta! At ſingulos animantes Natura ſui juris fecit, nec alieni mancipii; niſi fortè lanas grex ovilis æſtuante ſole non inviderer, quibus Aquiloniæ tempeſtatis frigora nè ſuâ vice nudatum corpus penetrando adurerent induſtrii provideremus. Verùm proh quanta Mundo tyrannis invehitur! Mutua exercentur inter animantes diſſidia; ſæviunt laceſſim homines feræque, & ab æmulatione vitium ſollicitantur. Jam didicit grex imbellis noſtrum in ſua cute gladium pati; jugo aſſuevit armentum, maximamque laboris noſtri partem expedit. Quid plura patravit cupido? Telluris imum, Plutonis adyta inadita lucem inviſam aſpexêre, matriſque magnæ confoſſis viſceribus metalla ſacrilegæ famis luridas in eſcas eruta fœnorantur. Infandum quid non mortalia pectora ſuos ad uſus rapuerint. Paucis tamen planèque obviis Natura dimittitur; quantillum eſt quod illa poſcit, ut mens ſana in corpore ſano perſeveret. In promptu ſimul alimentum & medicina Vinum erit, quo vita ſoſpes ab ægritudine vindicetur & reſurgat. Quid ponderoſâ corporis ſaginâ craſſeſceres, ſi vino & carnibus adimplearis? Satis eſt vinum aquâ temperare, quod ſalubritatis tibi cautio erit, quo nec ſpurcis animam ſordibus affricari ſenties. Tot ædepol tantiſque cœlorum inclementiis homo compatitur, ut, ægrotare nî ſeligat, aliquantulum indulgeat ſibi neceſſe ſit; quo jure,

Narratur & priſci Catonis
Sæpè mero caluiſſe virtus.

Non ergo tam ſtricta fuat menſæ relligio, quin vini benè toties miſceatur libamen, quoties uberiore nutritii ſucci penſo damna corporis reſarcire convenit, aut evaporatione inſenſili ſpirabilia excrementa ſolitò lentiora promovere & effumare opportunum fuerit. Optimum ſcilicet fermentum ſanguinis, tardioris Naturæ calcar, ſpirituumque pabulum, meri poculum. Hinc potiſſimùm ſenibus veteraſcenti & effœto latice purpureo pronè labantibus, virtutum vitæque inducias Bacchus paciſcitur. Sed heu diffidenda Autumni munera! Profectò narcoticum virus inſufflat merum, ſi quàm par eſt largiùs epotetur. Tum ſanguis hebes ab inſitâ fermentandi vi diſtrahitur, laqueantur ſpiritus, lethæumque frigus ferè membra deguſtant. Hinc ſæpiùs undas ad Stygias ſubitò raptus eſt, qui nimiùm in Bacchi tripode exultabat; Pandoræve pyxidem delibaſſe malo ſuo fato perſenſit, qui meri gaudiis voluptuoſiùs mergebatur.

I I.

JAM ab undis, quæ tellurem diluerant, ſecretis ſolidum excreverat; cum recenti mortalium cruore tinctis ampliùs potari ſuperſtiti Noëmo piaculum fors videretur, à quo Pius abhorreret. Porrò cogitavit ſub viridanti pampino gemmare uvas, quæ non amarum ſitis lenimen forent. Admovit experientiæ manum; inde orbi redivivo teſtis fuit, nè quibus emerſerat aquis in-poſterùm fideret. Evoë, quàm ſuaviter merum exhauſiſti! quàm tactu leni fauces colluebat è rupicolubtis botro humor! liquidum enim-verò Solis jubar jam tum influxiſſe membris perſenſit pater; nec ab epoto Jove tenuit

477

gressum, quousque vis liquoris in viti virtutem cesserit. Ità Dædaleos machinæ animalis tractus Mercurius iste, felici experimento, permeavit primùm; ut in humanam substantiam postliminiò expergiscentem eò vertendus videretur, quò eam summoperè refocillaret caducam nimis, fluxiliter pereuntem jugiter instauraret, expirantem inspiraret, fatiscentem reficeret. Norint ergo mortales quæ sint propè & penès se bona. En Natura, quibus parca magis nascentibus fuerat & inclementior, eos industriâ præmunivit, quâ ipsam communem matrem, gemebundo labore compellerent, ut dona profunderet; & sic provocatis uberibus meraciori lacte ipsi saturentur, roborentur, vigescant. Ità porrò neque sitim modò compescere vinum comparatum est, sed ultrà in alimentum elutriari. Refertum quippè est istud humoris genus eâ vi cœlestis auræ, quæ innati caloris fomitem recreare & amplificare valeat. Eo meri sulphure priùs in ventriculo chylus cremorascit, quem genialis humido-spiritus in hocce liminare emporium conspirans è cibo & potu ut ut subactis taliter erudivit. Dein extrusus gastri fibratum propellentibus oscillis chymus, bilis conflictu ab incoctilibus excrementis exoneratus, mox pancreatico latice lautior ac divite sui sulphuris penu ovans, ubertim sanguini pensum ab emensis mesentericolacteis & thoracicis ductibus prolectatur. Hæc velut argentea mica solare semen, quod vel à vino tulerit, adeò purum sub niveo cortice, purpurei fermenti incubatu explicandum, animali vegetando nutriendoque repromittit. Nec mora, ubi commissus à subclaviâ diducitur meabilibus chylus vasis, sensim colluitur proprio animalis mero-meracus ipse vegetabilis liquor: indeque blandienti complexus hospito, consimili ejusdem ablactatur purpurâ; ità qui

Cygniformis erat, conversus it imber in ostrum.

At interim manat dum in venis cruor, quidquid in se purius habuit epotum nectar è sole deciduum Natura laborat in primogenium hominis salinum concinnare, glutinis formâ proximum innati seminis specifici rudimentum compingere, necnon alimenti more in fibras, nervos, membranas, compaginemque omnem; mox in ipsam, quæ purissima & enucleatissima vegetantis est, animam, Dæmogorgonis hospitem, convertere satagit & obtinet.

III.

OPTIMUM est in alimento medicamentum, inquit *a* Cous. *b* Humidum pariter alimentum reficiendis viribus medicamen optimum. Hinc fausta cordis medicina vinum, quod exhaustos & deficientes spiritus citò recreare valeat. Ità *c* cardiacorum salus in vino est; adeò porrò in oris ventriculi affectibus laudandum, præsertim ubi metus ne syncope subsequatur, ut licet adsit inflammatio, doceat Galenus merum cum pane exhibendum. Iisdem nominibus apud *d* Hippocratem vinum audit, quod instaurare vires, stomacho mederi, morbosas anxietates solvere, horroresque difflare compererit. Inde Sarracenis, quibus lege cautum erat ne vino uterentur, testis Averroës, ubi taliter afficerentur, concedi solitum fuisse. Quin repurgando quoque sanguini accommodum, tùm ciendæ urinæ, modò diluatur, cùm per alvum ducendæ bili commendat Senex, *e* vel ipsis febrientibus exhibendum. Maligno ampliùs pestilentive morbo correptis meri præsens auxilium est, vel omni theriacâ laudabilius; quod è terrâ Deus creavit, an-ne catholicam medicinam? Talem certè prædicant, qui suum jactant vinum & efferunt vulgari non vino tantùm, sed & auro pretiosius. At Galena nostra vinum esto quod ab uvis conficitur. Ignipotens sanè menstruum ejus spiritus sulphureus elicitur, quo ditis ars chemiæ multiplices ad medendum tincturas, extracta plurima, & elixiria comparat. Ipsummet hac arte vinum in aquas vitæ regias abit; jam in theriacales, hungaricas, antiparalyticas, antapoplecticas, antepilepticas, vulnerarias, hydroticas & alias sexcentas, componitur, ut nulla ferè absque vino medicina sit. Quid ità? en laboranti Naturæ maximè amicabile propitiumque vinum est, vel aquæ intercuti sanandæ, qui morbus Naturæ corruentis est, *f* Hippocraticâ praxi & assertum, & probatum. Labes verò corporis vinum eluere aptum est, cui subsederit omnis tartari impuritas: adeò enim purum ac proprio marte coctum seligitur, ut indè valeat vitalis flammæ oleum rependere, innatos spiritus adaugere copiis; quorum proventu majori vis *magnetismi* roboratur, spiræ omnes pressiùs exercentur, liquores promptiùs subiguntur, ociùs ab excrementis vindicantur, & in succum nutritium facessunt. Sic porrò copiosior & expeditior perspiratio crassiorum & strictiorum pororum efficitur, qui optabilis est vel ab aquoso languore ad auream sanitatem regressus. Hei vobis, ô abstemii, quos pallida facies

a *Hippoc. l. de alim.* *b* *Ibidem.* *c* *Plin. l. 23. c. 26.* *d* *epid. 2. aph. s. 7. 57. &c.* *e* *l. 3. de morb.* *f* *ib. de int. aff.*

notat, quosque senium præmaturè corripit! serius ociùs tandem lethæos papaveres vino diffugite, nisi gravissimâ senectutis ægritudine in humum præcipites agi anteponatis. Assidua Bacchi juventus membris addet vigorem gelidâ etiam senectâ cassis; fibrarum torporem excutiet, incoctos maturabit humores, coctorum excrementa difflari procurabit, animamque diu in corpore tuebitur. Agedum, qui catharris obnoxius es, qui rheumatismis querulus divexaris, nonne toties jucundissimam medelam expertus es, quoties meracius vinum ebibisti? Quocirca Hippocrates [a], aqua, inquit, frigefacit, vinum calidum est & siccum habetque expurgatorium quoddam: nigrum & austerum siccius est, siccat & calefacit, superfluos dissipans humores. Hinc sibi bene providet, ut sanitate non excidat, [b] qui quolibet saltem mense semel aut bis vino ciboque solito plus indulserit; sequenti enim die licet sensibiliter consueto magis non evacuet, perpendet solitò minùs. Adeò quippè [c] vegetior expultrix tantùm excitat perspiratus quantùm sine staticâ nemo crederet. Aqua verò nedum idem [d] præstet, lubricat quidem alvum, sed perspirationem divertit. Hinc nisi virtus per se plurimùm valeat, morborum ilias exoritur, quibus unde medeatur vinum in se habet. Ita rusticani præ inopiâ vinum in mensâ non adhibentes, statim ut ægrotant, quovis tententur morbo, Bacchum sibi medicum medicinamque simul accersunt; quo nisi restituantur, morti se devotos putant, & Parcæ inclementiam jam tùm sentire se profitentur. At enim diureticum est vinum quod tenui sale splendidè coruscat, diaphoreticum quod micante sulphure penetrabilius est: Quare medicus ne inter medendum à vino semper abhorreat, quod tamen ut pro intento suo seligere, sic pro illius virtute ponderare & moderari noverit.

I V.

SUO quisque ævum agitat motu; hoc ipso assiduè diffluit jugiterque reficitur, datis quæ cœlum corpori rependant & hospitis subeant vices. Sic nos vivimus & alimur. Sed quàm fata premunt, quæ ad orcum continuò vocant, ut similiter spiritum ducere, cibos & potus sorbere cogamur, inscii vitamne an lethum voremus. Stat enim in virtutis suæ modo Natura quævis. Virtus hæc in proprio *magnetismo*. Eheu! quàm debilis noster est, quàm facilè vinci & everti potest. Iis quibus pasci valet si parciùs concurrant, iisdem depascitur si copiosiùs committantur: ità vinum quod in pretium sanitatis facessere promptum est, si eo sumatur haustu quo possit concoqui; vertitur in perniciem, natales ubi spiritus, vitæ sartores coctionisque molitores, gulosæ rusticitatis culpâ frequentiùs immergit, aut etiam semel insolubili crapulâ constrictos opprimit & extinguit. Proh quàm insulsè sapiunt & iniquè sibi consulunt beatitatis cupidi mortales! cæci quàm volupem prosequuntur, utilium abusu pessimo in proprium exitium corrumpunt. Adeò proxima bonis mala non vident, priùs quàm sentiant. Exemplis tandem & doctrinâ resipiant, ut intemperantiæ venena prudentes consultâ sobrietate devitent. Nunquid sæpè sub oculos venit multiplex vini opprobrium? vitiis quippè corpus prægravat, atque affigit humo divinæ particulam auræ. Animi plerùmque deliquium & sincopem inducit, dum robore suo spiritus coercet & congelat; verùm & membris adimit vigorem, cadit omne nervorum robur; solidum fluidumque inter hebescit motûs reciprocatio; quasi lethæus stupor artus inanes occupat; jam vox hæret faucibus, oculorum acies offusâ caligine retunditur; mens ipsa vaporibus adeò conscribitur, ut propè consepulta nec sibi nec machinæ vacare possit. Hæc si veterno diutiùs premitur, nec lethargum febris fortè subveniens excutiat, è sede mittitur & devicta refugit domitores vini spiritus, ut fatis cedat ad Stygen impellentibus. Sed ab ecclipsi rediviva si fuerit, & à compedibus resiliat, non omnis tamen veneni vis frangitur; verùm in visceribus & medullis latitans, quotidianâ vini intemperantiâ pedetentim aggeritur & insolescit, quousque lethalia spicula aut partitis insultibus, aut ineluctabili marte, nequicquam adversus niteni naturæ incusserit. Hinc enim apoplexiæ, & comata, paralises, phrenitides, dolores arthritici, colici, nephritici, lienteriæ, dysenteriæ, fluxus hepatici, hydropes, tabes, & omnes propè graviores morbi sortem ducunt, prout in parte magis debili gliscens venenum inolescit, & tragœdiæ parat exordium. Primùm vini ab ingurgitatione frequenti ventriculus tartareâ labe inficitur, quâ coctionis officium pervertitur, prosternitur appetitus, & immensa vini sitis assiduò vellicat. Jam tartarea impuritas radicatur in visceribus & penitiùs intruditur, quæ priorum coctionum vim elusa, tertiæ coctionis semitas offuscat, fibrarum obturat hiatus, elateres, spirituumque ra-

a *lib. de diata.* b *Sanctor. sect.* 3. c *Idem, ibidem.* d *Idem.*

dios interpellat & retundit. Hinc aggestis sensim excrementis fluidorum itus reditusque remorantur, secretio omnis elanguescit, remittuntur perspiratio & instauratio, fibræ emarcescunt & indurantur, elaterio quaslibusque solitis impares. Ità corporis nulla vel minima pars quæ succo degenere non imbuatur, adeòque nativo calore deficiscat admisso corruptionis fermento. Inde *senium Philippi*, & urgens lethi necessitas.

V.

QUANTUM distet utrumque à medio extremum discernere prudentis est & in Æsculapicis orgiis non profani. Medium illud exiguâ latitudine describitur, ultrà quam citràque nequit consistere rectum. Hinc *a* qui parciùs nutritur, quàm par est magis læditur, quàm si paulò pleniùs aleretur. Si verò quis *b* ampliùs æquo comedat, minùs satis nutritur. Sobrietatis igitur & intemperantiæ pares sunt ad nimium gradus. Discrimen illud à diverso cujusque cùm hominis tùm rei assumendæ temperamento & indole pendet. Huic enim istud alimentum, quod alteri medicina; hoc illi medicina, quod alteri venenum. Vini quoque multifaria natura est, quâ tale ab alio summo jure differat. Præstantissimi succi Falernum est, quod perspirationem & sudores movet; Malvasium ventriculi frigidi levamentum, & coli cruciatûs lenimen; Coum, *c* quod nigrum & austerum lienis inflammationibus medetur. Hispanis spississima vina sunt, ac sulphure, quo maximè nutriunt, plenissima; in Gallia mitiora; in Italia paulò fortiora; in Germania tenuissima, sed cruda & nonnihil acida. Dulce aliud, *d* quod nervos minùs afficit, quàm vinosum, magisque secedit alvo, & in tabe sputo educendo commodum, sed biliosis nocivum, quibus inflat viscera, sitimque creat. Vinosum album aliud, quod urinas movet, adeòque renes & vesicam expurgat, quorum in affectibus *e* laudatur. Austerum aliud & nigrum, quod quidem siccat, sed neque alvum, neque urinam, neque salivam movet. Non infimæ notæ est, quod punicei coloris, vinosum, odore quasi violaceo fragrans; vires enim apprimè reficit, sanumque firmat ac vegetum corpus; senibus imprimis utile, quale Burgundum nostrum est; plenis tamen & frequentibus vasis meraciter nulli bibendum. Præstat non novum, neque annosum nimis, quod tenue sit ac purum (olygophorum Græci dicunt) quod mentem non perturbat, sed per urinas facilè meat, salubre magis si aquæ mixtione dometur. Hoc enim alimentorum in ventriculo fermentationem promovet, fluxiliorem reddit chylum, obstructas reserat vias, & appetitum excitat. Idem etiam *f* pueris lacte salubrius si lymphæ copiâ diluatur. Tu illo intercomedendum tantùm utere, quantùm ad alimenta diluenda requiritur. Ita salubri potu *lætabitur cor tuum*:

Nam lene tormentum ingenio admovet
Plerumque duro; sic sapientium
Curas, & arcanum jocosus
Consilium retegit Lyæus.

Sed quò suaviùs merum, eò parciùs bibas, nam molli sæpe latet anguis in herbâ, & ab aspidum morsu suaviter commori dicunt. Hinc aiebat Asclepiades medicus primum cyathum ad sitim pertinere, secundum ad voluptatem & amorem, tertium ad ebrietatem, quartum ad insaniam. At fortè, inquies, Germanici ventris erant Asclepiadis pocula. Eià, seriò concluditur; primus cyathus ad sitim, secundus ad concoctionem adjuvandam, tertius ad voluptatem, quartus ad gaudium, quintus ad somnum, sextus ad ebrietatem, septimus ad furorem & morbos.

a *Hipp. Aph. s. 1. Aph. 5.* b *Sanc. s. 3. Aph. 54.* c *Hipp. l. de inter. aff.* d *eòd. l. Hipp.* e *Ibid.* f *Hipp. l. de aere, loc. aq.*

Ergo vinum alimentum, medicamentum, venenum.

Proponebat Parisiis PETRUS ANTONIUS LEPY, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1714.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.